D.F.V.T.

224

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-372374-p0003-2



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-372374-p0005-3

Ex solo DEI verbo sapientia vera.
In solo CHRISTI merito fidúcia vera.
In solo COELO vita et patria vera.

Generoso Magnifico atq
maximè Strenuo Viro
Dn. WOLFGANGO CONRADO
a Ebersdirff
Hæreditario in Konitz et Kobitz /
Domino Illmi Ducis Saxoniæ Ducis /
Circuli Altenburg.
Arcolario gravissimo Consiliario
intimo Maritissimo
Fratruum Fratrialium Patronorum
eminentissimo
Patrono ac Studiosorum suorum
Promotori maximo,
Reipubl. Colendo
Thesin Sacer Theologicas, ad ex-
cia sua studia invitat
Petrus Grandorff Magist.
ad tempus Decan.
Joh. Ernestus Gerhard D. & Prof. P.
Jenæ.

D. J.

Ad

Cap. XXI. Comma 22.

D. JOHANNIS

EXERCITATIO PHILOLOGICA SECUNDA,

BARTOLDO NIHUSIO,

SACERDOTI PONTIFICIO

OPPOSITA,

Inq; illustri Academia VVittebergensi

publicè ad disputandum

proposita

â

M. JOHANNE ERNESTO GERHARDO

Jenensi, Coll. Philosoph. Adjuncto,

RESPONDENTE

M. JACOBO TENTZELIO

Greussensi Thur.

Habebitur in Auditorio Philosophorum

a. d. XXIII. Januarii horis matutinis.

VVITTEBERGÆ,

TYPIS JOBI VVILHELMI FINCELII,

ANNO clɔ Iɔc L.

EXERCITATIO

CAP. V.

VEnerabilis Bedæ mens ac hujus loci expositio qvomodo commodè possit intelligi, & qvare nihilominus non adprobari qveat? B. Parens defenditur contra Nihusium imaginatorem. Probatissimos inter Latinos Codices esse, qvi *si* referunt. Qvare Augustinus & Ambrosius erroneam lectionem non correxerint, ostenditur. Hieronymum subdolè reticet Nihusius, patrem Græca Ebræaq; doctissimum. Emissenum itemq; Rupertum erroneis V.V. Codicibus seductos fuisse, Nihusio conceditur. Patres Græcos de industriâ non nominat ac ne verbulo hîc attingit Nihusius. illos unanimiter nostram lectionem per *si* adprobare, ex Jansenio ac Maldonato probatur. Adducuntur in hanc rem ipsissima verba Græca Chrysostomi, Cyrilli, Oecumenii, Theophylacti. B. Parentem rectè asserere, probatissima exemplaria illa esse, qvæ *si* habent, concluditur adversus Nihusium.

MEns qvidem animi erat, præcedente capite omnium Patrum Latinorum pariter atq; Græcorum, qvi de loco nostro Johanneo adduci communiter solent, excutere scrinia, sed postqvam detentus parumper á Nihusio fui, facilè spero veniam conseqvar, si minùs steterim promissis. Cœterùm *Bedæ Venerabilis* mentem iisdem prope cum *Jansenio* verbis repræsentat B. meus *Parens* Harm. Evang. p. 406. qvin subnectit etiam idem, *non posse concinniorem hujus lectionis* (per *sic*) *afferri interpretationem, qvippe qvæ utilem ac salutarem præbeat doctrinam, qvòd Christus in morte ad nos veniat &c.* Qvando verò subjicit, *Græca exemplaria constanter per si legere, qvam lectionem Græci etiam Interpretes sequantur omnes, ipsum etiam Evangelistam opinionem, ex hypothetico Christi sermone in categoricum*

mutato enatam, propositionem hypotheticam repetendo, corrigere &c. proindeq; *probandam illam lectionem esse, quæ ὑγιῶς verba Christi dicta esse intelligit.* Qvid ad hæc Nihusius? *apud nos*, ait, *omnia hæc frustra; ut qui censemus* (satis qvidem CENSOR hic pro imperio) *loqvutum Salvatorem de suo in Johannis morte adventu, licet studiosè fuerit obscurus in sermone; sed locutum ipsum merè hypotheticè, ut imaginatur sibi Jo. Gerardus* &c. Ast non solus B. Parens sibi hoc *imaginatur*, sed monstrant id ipsa Christi verba, in qvibus *dictio conditionalis* ἐὰν si *nihil affirmat*, teste ipso *Jansenio*, qvi insuper post relatam *Bedæ* expositionem addit: *Sed qvando & hic sensus variis modis valdè coactus est, restat ut ea lectione mutatâ, qvæ nullum aut verum aut convenientem habet sensum, eam potius recipiamus, qvam certum est omnes habere Concorditer Græcos Codices, qvam valdè verisimile est etiã interpretem primùm fideliter Latinis reddidisse, sicut in Latinis plerisq; incorrupta inventa est semper. Qvam germanam esse, etiam ex ipsis verbis, ipsaq; intentione Domini facilè potest ostendi.* Videat igitur Nihusius & agnoscat, qvin mirari desinat, *qvâ fronte B. Parens* meus *adseveret, apud Pontificios probatissimæ exemplaria esse, ubi legitur:* Si eum volo manere. Hæc si accuratiùs secum perpenderit, ac insuper illa, qvæ suprà c. 3. ex *Maldonato* etiam, *Bonfrerio* item atq; *Estio* adduximus, observarit, non tam thrasonicè intonabit: *Tantillo, inqvam, negotio ratiunculæ Jo. Gerardi eliduntur.* Nec ignoravit sanè B. Parens meus, *Augustinum* qvoq; (qvem *Nihusius* p. 105. præter meritum suum trium annorum vitæ privat spacio, deformi ἀναχρονισμῷ. dicit enim, *eum e vita mortali excessisse anno CCCCXXX.* cùm, ceu *Prosper* etiam in Chronico testatur, mortalitati vale-

valedixerit anno demum 433. qvâ de re videatur *Bellarm.* de Scr. Eccl. p. 121.) itemq; *Ambrosium* corruptâ istâ lectione fuisse seductos. Qvid igitur concludet Nihusius horum Patrum Latinorum bigâ? certè nihil aliud, qvàm *inveteratum hunc esse errorem*, ut loqvitur *Jansenius*, vel *Lectionem hanc per* sic *omnes fermè Codices Latinos, â multis jam seculis, pervasisse, eosq; incredibili Scriptorum negligentia contaminasse, nullâ prorsus specie probabilitatis*, qvod *Maldonatus* adserit. Sed qværat Nihusius ulterius: qvare igitur sancti isti Patres *negligẽtiam hanc scriptorum* non correxerunt? Respondemus paucis, Ambrosium idiomatis Græci fuisse non admodùm peritum, utrumq; verò versioni Latinæ nimium tribuisse. neq; tamen absurdum apud Pontificios ipsos, falsam aliqvam foviisse sententiam *Ambrosium* atq; *Augustinum*, qvî igitur non erit qvoq; credibile, corruptam illos ipsos etiam seqvutos esse V. L. Sed cur Nihusius *Hieronymum* reticet, Græcæ Lingvæ utroq; hôc mage gnarum, & qvem jactant, attamen falsò, Pontificii nonnulli Versionis Vulgatæ auctorem? Annè & hic seqvutus corruptos istos Codices est? id qvidem neutiqvam. Evolvat Nihusius doctissimi hujus Patris librum, qvem contra Jovinianum scripsit, primum, ubi expressè locum hunc per *si* legit. Si verò Nihusius instat: qvare igitur non correxit *Hieronymus* corruptos istos Codices, qvi *sic* exhibent, *cùm jussu Damasi Pontificis N. T. emendarit*, si tamen fides in re ista habenda *Bellarmino* est? ibi remittimus Nihusium ad Bell. l. c. ubi ostendit, loca qvædam non esse emendata, *ut Hieronymus monuit emendanda.* neq; etiam inficiatur Hieronymus ipse, *se non omnia correxisse, qvæ corrigenda esse putabat, ne nimis* scil. *multa immutasse videretur.* Eodem propè

lib. II. de V. D. c. 9. p. 109.

propè consilio, qvo Auctores præfat. ad *Biblia Sixti V. & Clem. IIX.* jussu edita, *nonnulla, qvæ mutanda videbantur, immutata reliqverunt.* Ergone itaq; *Hieronymus* adprobavit illa omnia, qvæ intacta reliqvit (posito tamen, sed non concesso, ipsum N. T. versionem antiqvam correxisse)in corrupta illâ versione? id qvidem adfirmare nolim, præsertim ubi ipse in suis scriptis diversam amplectitur lectionem. qvod verò illud Maldonati, VIDERI *sibi Hieronymum legere* si sic, *attinet*, ad illud VIDETUR facilè respondetur per NON VIDETUR. Atqve hæc ipsa de *Patribus Latinis* sufficiant. Allegat qvidem etiam *Tirinus Emissenum* atq; *Rupertum*, sed similiter respondemus, eosdem corruptam lectionem Codicum Latinorum sequtos fuisse, præsertim ubi præeuntes habuere *Augustinum* & *Ambrosium*. Sed cur Nihusius prorsus nihil de patribus Græcis? Horũ enim licet auctoritatem alicubi non magni æstimare videatur, alibi tamen *illorum*, ceu vocat, *sciolorum insulsitatem retegere* promittit, *audentium dicere* (è nostris dubito, an qvis unqvam hoc scripserit dixeritve) *Catholicorum neminem esse versatum in Authoribus antiqvis, præsertim Græcis*, qvin & ipsâ praxi ostentat, sese in Patrum Græcorum lectione versatum esse. Cur igitur hîc de Patribus Græcis Nihusius magis mutus pisce est? forsan qvia censet, *frustrà* sibi opponi Patres sive Interpretes Græcos non minùs ac cætera, qvæ B. Parens meus urget; an verò qvia *Prisciani* illi succurrit auctoritas, qvâ ita superbit, ut ad hanc si computentur Patres Græci, nihil hîc valeant. Ast cùm infrà, tum qvid de *Prisciani* in negotio præsenti auctoritate, tum qvid de verborum, qvæ ex eo proferuntur, sensu haben-

p. 279.
p. 110.

p. 243.

habendum sit, prolixus dicendi locus sit futurus, muniamus parumper nostram sententiam Patrum Grecorum ὁμοψηφία. Non qvidem qvasi necessarium hoc ipsum magnopere sit, cùm jampridem labore isthoc nos sublevarint ipsimet Pontificii Scriptores, expresse adserentes, *omnes expositores Græcos per* si *legere, non verò* sic (videat saltim Nihusius *Maldonatum*, ac *Jansenium*, qvorum fidem non tam facile sublestam reddere permittent censuræ, qvas insignes illorum Commentarii â *Censore Apost.* reportarunt) sed qvò veritatis lux magis ob oculos cæcutientis ponatur Nihusii, tum verò qvia non memini ab ullo Commentatore ipsissima Patrum Græcorum verba circa hunc locum esse adducta. Ita igitur *Chrysostomus*, Episcopus Constantinopolitanus, qvi obiit anno Christi CCCCVII. ἐαν̀ αὐτὸν θέλω μένειν, τί σοὶ͂ς σε; διὰ τῶν παιδεύων ἡμᾶς μὴ ἀσχάλλειν, μηδὲ πολυπραγμονεῖν, μηδὲν πέρα τῶν δοκούντων αὐτῷ. ἐπειδὴ γὰρ ἀεὶ ὁ Πέτρος εἰς τὰς τοιάυτας ἐρωτήσεις θερμὸς ἦν καὶ σφοδρός, ἐκκόπων αὐτὸ πάλιν τὴν θερμότητα, καὶ παιδεύων περιδέρω μὴ σπουδάζειν, τοῦτό φησιν. Hom. 87. in Joh. p. 451. edit. Commel. Ita qvoq; *Cyrillus*, Episcopus Alexandrinus, qvi seculo floruit 5. Tom. 1. lib. XII. c. 66. τὸν δι γὰρ ὧν πεῖραν ὁ Πέτρος, φιλοπευσεῖν ἐπειρᾶτο, καὶ μαθεῖν ἠξίου, πίοις ἄρα καὶ πίσιν ὁμιλήσει καὶ αὐτὸς ταῖς μετὰ ταῦτα κινδυνώδεσι, ἢ τὸ εἰς τι καταλήξει τυχὸν καὶ αὐτῷ τοῦ βίου τὸ πέρας. ἀλλ' ἔξω λόγου, τοῦ πρέποντος ἡ πεῦσις ἐφαίνετο, τὸ σπουδαίας μᾶλλον, ἢ χρησιμαθείας ἔργον ὦν, τὸ καθ' ἑαυτὸν λαβόντα τὸ εἴδησιν τὰ ἐφ' ἑτέροις ἐσόμενα ζητεῖν. διὰ ταύτην οἶμαι τὴν αἰτίαν ὁ κύριος, ἀπεκείνατο μὲν τι, πλεῖον δὲ τοῦ ἐρωτωμένου, ἤτοι τοῦ ζητουμένου, ἀποκρυπτόμενός πως εἰς ἕτερα τοῦ διεγείροντος τὸ σκοπὸν, ἵνα ἀθάνατον ἔσεσθαι τὸν Ιωάννην φησὶν. ἀλλ' εἰ βου-

ἐι βȣλοίμην αὐτὸν διαζῆν, ἕως ἔρχομαι, τὶ ἄρα τȣ̃το πρὸς σέ; τȣ̃το ἔστιν, ἀκήκοας, ὦ πέτρε, τὰ κατὰ σαὐτὸν, τί σοι τὰ ἑτέρων φιλοπευστεῖν, καὶ τῶν θείων ἀνορύττειν ὥσπερ ȣ̓κ ἐν καιρῷ τ̃ ἐίδησιν; ἐι γὰρ δὲ μηδόλως τελεοτώη, φησὶν, ἄρα τὶ τȣ̃το τ̃ σὴν φροντίδα παραμυθήσεται; apponã verba Latina ex interpretatione *Georgi Trapezontii*. edit. Basil. apud Episcopiũ an. 1566. *Hunc igitur ita Domino dilectũ qvũ respexisset Petrus, statim interrogavit, qvis vitæ illi terminus immineret. Sed qvoniam curiosa magis, qvàm utilis rerum alienarum inqvisitio est, respondet qvidem, sed ita ut rogantis animum abducat ad alia, nec mortis expertem futurum Johannem ait: sed si eum volo manere donec venio, qvid ad te? id est, audisti Petre, qvæ ad te pertinent, cur alia qværis? cur divinæ justitiæ secreta rimaris? Nam si etiam* VELLEM *minimè istum mori, qvid tu unqvam emolumenti, aut qvid consolationis conseqvereris. &c.* pariter & *Oecumenius*, qvi vixit seculo IX. in c. 5. Epist. Jac. Διαβαλὼν τὴν τῶν Ιουδαικῶν ἀρχόντων πατάλην, καὶ τὸ πρὸς τȣ̀ς πένητας αὐτῶν σκληρὸν καὶ ἀπολύθραπον, μεταβαίνει καὶ ἐπὶ τȣ̀ς πιστȣ̀ς καὶ φησι. μὴ ταῦτα ὁρῶντες, ἀδελφοὶ, σκανδαλίζεσθε, μηδὲ ἀθυμεῖτε, ὡς ἢ μὴ ἐκδικήσεως ἀποκειμένης, ἢ ἀποκειμένης μὲν βραδυνούσης δὲ. ἔστι γὰρ ἐκδίκησις καὶ κατὰ πόδας. λέγει δὲ τὴν Ρωμαϊκὴν ἔφοδον, καὶ τὴν ὑπὸ τȣ̃των αἰχμαλωσίαν τῶν Ιȣδαίων. ἣν καὶ παρȣσίαν καλεῖ τȣ̃ κυρίȣ. ὡς ὁ Ιωάννης ὁ ἐπὶ τὸ στῆθος ἀναπεσὼν τȣ̃ κυρίȣ, δι ὧν φησὶ περὶ τῆς ἀποβιώσεως, τ̃ αὐτὸν εἰσάγων κύριον λέγοντα. ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχωμαι. καὶ γὰρ παρετάθη καὶ τȣ̃τῳ ὁ τῆς ζωῆς ταύτης χρόνος, ἕως τῆς ἁλώσεως Ιερȣ̃σαλὴμ, καὶ μικρὸν ἐπέκεινα. His accedat *Theophylactus* Bulgarorum Archiepiscopus, qvi rebus humanis exemtus seculo undecimo: τȣ̃τον δέ ἐὰν θέλω μένειν, inqvit, ἐνταῦθα ἐν τοῖς περὶ τὴν γαλιλαίαν τόποις, καὶ μὴ συναποστεῖλαί σοι, τί πρὸς σέ; τό δὲ ἕως ἔρχομαι, τινὲς ȣ̃τως ἐνόησαν, ἕως, φησὶ, κατὰ τῶν σταυρωσάντων με ἰουδαιων

ἔρχομαι,

ἔρχομαι, μέλλων αὐτὸς διὰ τῆς τῶν Ῥωμαίων ῥάβδου παιδεύειν, καὶ καταστρέψαι τὴν πόλιν αὐτῶν &c. Sed qvid opus adducere plures, cùm supra è *Jansenio* ac *Maldonato*, Viris inter Pontificios clarissimis audiverimus jamtum, OMNES expositores Græcos non per *sic*, sed per *si* locum hunc efferre? Videat igitur æqvus rerum æstimator ac judicet, annon vanus sit Nihusius, dum qværitat, *qvâ fronte apud Pontificios B. Par. asseveret, probatissima exemplaria esse, qvæ si referunt, nõ* sic. Annõ probatissima exemplaria Latina illa sunt, qvæ seqvuntur textum Græcum authenticum, qvibus consentiunt Interpretes Orientalium antiqvissimi, *Syrus*, *Arabs*, *Æthiops*, qvæ præeuntem habent totum Patrũ Græcorum chorum, nec non inter Patres Latinos omnium, Lingvarum si qvis respexerit cognitionem, doctissimum, *Hieronymum?* qvæ deniq; ipsi Christi scopo ex asse conveniunt, ceu pridem â Theologis nostris demonstratum est, prout infra peculiari etiã capite ostẽdemus. Si deniq; illa exemplaria corrupta sunt, ipsis clarissimis inter Pontificios Viris testibus, ceu suprâ vidimus, qvæ *sic* habent, necessariũ omnino erit, hæc exemplaria esse *probatissima* apud Pontificios, qvæ *si* exhibent. Tertia enim lectio per *si sic*, nec ipsi Nihusio arridet. Ast regerat Nihusius: *apud nos, qvi respondentes sumus, hæc omnia frustra sunt*, qvippe qvi Ecclesiæ (qvæ Nihusio *Papa Romanus*) nitimur auctoritate, atq; huic cedere cogitur, qvicqvid etiam afferatur sive testium ex Oriente sive ex Occidente, qvicqvid etiam aliàs svadeat textus. Jam verò Ecclesia, Papa scil. Romanus, proclamavit illa esse exemplaria correctissima, immò authentica, qvæ jussu Sixti V. & Clementis IIX. edita sunt, hæc ipsa verò non *si*, sed *sic* habent. Ita, nisi fallor, col-

ligit Nihusius. Sed sciat tamen ipse, *multa in Bibliis istis correctores reliqvisse intacta, qvæ tamen mutanda ipsis videbantur*. qvare mutanda? qvia videl. minùs illis probata: in qvibus verò locis exemplaria ista minùs probata sint, atq; adeò erronea, monstrarunt postmodum sive conscientiâ convicti, sivè â nostratibus admoniti ipsosmet inter Scriptores Pontificios viri gravissimi, qvales in præsenti negotio indigitavimus suprà cap. 3. *Jansenium, Estium, Bonfrerium* &c. Atqve hactenus de lectione. seqvitur nunc ut excutiamus rationes Nihusii, qvibus demonstrare satagit, nihilominus rectè Vulgatam lectionem receptã per *sic* referre, cùm Latin. *si*, pariter & Græcum ἐὰν non *purè hypotheticam* semper significationem obtineant, sed *sæpiusculè ac veriùs involvant præsuppositam in intellectu asseverationem*. De controversia igitur hâc esto

CAPUT VI.

QUæ ulteriùs consideranda hic sint, proponitur. An Græcum ἐὰν in N. T. affirmativè accipiatur? negatur â Glasio, ad quod nihil respondet solidi Nihusius. Unica hirundo Nihusio ver facit. an sine urgente necessitate recedendum â textu sit? Nihusius Prisciani patrocinio utitur vel inviti. Vulg. Versio ad fabulas Poëtarum alludit quandoq;. Grammaticorum qvanta apud eruditiores auctoritas sit? Trapezuntius quis, & cujus auctoritatis? An rectè probet, Gr. ἐὰν affirmativum sensum includere? Nihusius non purè affirmativum gignere ἐὰν sensum h. l. concedit, quod contra Trapezuntium.

TRia verò in controversiam hîc veniunt â Nihusio probanda, vel, prout qvidẽ sibi ipse persuasum habet, jam tum probata, ac proinde â nobis diligentiùs pensitanda. 1. an Græcum ἐὰν *aliqvando* in Scriptura *S. præsuppositam asseverationem* includat

cludat, an verò ſemper *purè hypotheticè* ſumatur. 2. an Latinum *Si* apud probatos Scriptores, vel, ut propiùs rem accedamus, apud *interpretem Vulgatum* ac *Patres Latinos* ſimiliter *aſſeverationem aliquam* involvat. 3. an Latinum *SIC* non *nudam aſſerationem*, ſed ſimul *hypotheticum ſenſum* gignat, modôq; hoc apud Scriptores probatos reperiatur, ſive profani illi ſint, ſive Patres Latini, ſive etiã apud ipſum Interpretem Vulgatum. Primum itaq; quod â noſtratibus aſſertum fuit, concernit particulam ἐὰν, qvòd ſcil. illa ipſa *hypotheticum* gignat ſenſum, non *categoricum*. ac firmavit etiam propoſitionem hanc excellentisſimus Dn. D. *Glaſſius* exinde, qvia *nusqvam in libris N.T. ſic accipitur*, hoc eſt ut idem ſit, qvod *verè utiqvè, certè* (*Temperamentum*, quod *Nihuſius Huntlæi* ſententiæ admiſcet, nec ipſe *Huntlæus* indigitat, nec exſculpi etiã ex ejus verbis poteſt, cùm potius contrarium teſtentur. ergò nihil illud ad *Glaſſii* reſponſionem.) Mirè hîc vagatur *Nihuſius* ac in diſputando prorſus lubricus eſt, modò enim *Reſpondentis* munus ſibi induens omne probationis onus declinat; modò concedit, *non purè affirmativè accipi*, qvod tamen *Huntlæus* itemq; *Trapezuntius* (quorum ſententiam egregiè interpolare *Nihuſius* novit, planè tamen ipſis refragrantibus) ſtatuunt, ſed *hypotheticè, ita tamen ut aſſeveratio involvatur. Sive Chriſtum ambiguè loqvutum eſſe, ac ſub conditionali ſubintellexiſſe categoricam*. Sed quomodo qvæſo Nihuſius hoc ipſum probat? quid quæſo ad illud GlaſſI, negantis, vocem ἐὰν in libris N.T. *usqvam aſſertivè accipi*, reſpondet? An forſan regerit, qvod *Sixtino Amamæ* reſponſi dedit, ipſum non *Huntlæum, ſed aëra flagellare?* cùm qvæſtio ſit non de nuda

asseveratione, sed quæ hypothetica sit ac asseverationem involvat. Id quidē non audet *Nihusius*, cùm verba Huntlæi, contrà qvem disputat Dn. *D. Glassius*, manifestissima sint, nec temperamētum admittant ullum, quocunq; etiam â Nihusio coqvatur modo. Qvid igitur *Nihusius*? subterfugit laborem, gravio-
p.240. ribus videlicet districtus negotiis, dicitq;: *non inqviram, num ita sit, nego, inde seqvi, qvòd nec accipienda*
p.241. *sit ita in textu, de qvo agitur. Unica* scil. *talis hirundo ver* Nihusio *facit.* Sed inquisivere dubio procul alii, interq; eos *Jansenius*, aliàs enim neutiquam excidere sibi verba ista passus esset: *Interpretes omnes Græci suis Commentariis testantur, se legisse conjunctionem conditionalē* Si, *qvæ* NIHIL *affirmat.* Videat igitur *Nihusius*, quàm pulcrum *ver sibi* hîc *faciat unica hirundo.* Rectè verò dixit *sibi:* aliis enim eruditioribus inter ipsos etiam Pontificios longè videtur aliter, qui tam audaces non sunt, ut *sine urgente necessitate â consuetâ ac recepta vocis significatione recedant facilè*, (& licet *adfirmativū sensum* dictio ἐὰν aliqvādo sive in profanis Scriptoribus Græcis, sive etiam in N. T. libris, qvod posterius tamen neutiqvam concedimus, nec probatum etiam â Nihusio fuit, includeret, *nulla* tamen *cogit nos necessitas, hîc eum agnoscere*, ut de suo in simili casu, hoc largiatur *Nihusius* nobis:) qvin potiùs cum Huntlæo vel ex Ebræo textu probare satagunt, particulam ἐὰν *aliqvando affirmativè sumi, idemq; esse, qvod verè, utiqve, certè*; vel ingenuè fatentur, *nemini dubium esse debere, qvin errore librarii conjunctio* si *mutata sit in adverbium* sic, *cùm apud Latinos facilis lapsus sit â* si, *in* sic, *ob vocum affinitatem*. Pergat tamen *Nihusius*, asseratq;, *primariis interim Grammaticis*

cis probata esse, qvæ dixerat, (scil. ἐὰν ac *Si* aliqvando sumi simul *Conditionaliter & assertivè*) *animumq; ut Lector advertat velit ad Priscianum & Trapezuntium*. En egregium par, qvod merito suo opponi possit omnibus Patribus Græcis, qvodq; nos convincat, *licet in toto Testamento Novo dictio ἐὰν semper hypotheticum habeat sensum*, attamen præsenti loco assertivè accipi debere. Siqve, qvod nonnulli tradunt, verum est, *Priscianum* istum *Cæsariensem* primùm Christianum, postmodum fidei desertorem fuisse, mirum forsan non est, tantoperè Nihusium Prisciani Apostatæ delectari consensu, cùm & ipse Nihusius â fidei puritate secessionem fecerit, non qvidem ad gentilismum, attamen ad religionem Antichristianam. Qvando verò *Prisciani* patrocinium tam avidè ambit hîc *Nihusius*, miratio non immeritò aliqvẽ subire possit, qvâ fronte id facere Nihusius audeat, qvippe â qvo tam innocenter miserèq; *Priscianus* vapulat p.202. l.21. & alibi. Sed nos missis istis puerilibus, in qvibus tamen Nihusius forsan triumpharet, si apud nostros hujusmodi talia deprehenderet, ac ipsi Nihusio laborare jubentes ac cogitare, ecqvâ ratione in gratiam priùs cum Prisciano redeat, audiemus nihilominus Nihusiii Patronum, *Priscianum Grammaticum*, vel si velit etiam tutelâ ejus uti, ipsum qvoq; *Ælium Donatum*. Qvid verò *Priscianus* pro caussa *Nihusii*? *Nil mirum*, inqvit, *conjunctionem* si *apud nos, quæ tam pro* ἐὰν *Græcâ conjunctione, qvæ caussalis est, & perfectiva, qvàm pro* εἰ, *quæ conjunctiva est, ponitur, utriusq; constructionem, qvam habent apud Græcos supra dictæ conjunctiones, ad verba servare, ut & indicativo & optativo & subjunctivo possint adjungi*. Et

hactenus ritè munere ſuo fungitur Grãmaticus, pergit tamen: *ſed indicativo ſæpè conjunctum oſtendit, magis confirmari & credi, rem ſic eße vel fieri poße, qvàm dubitari.* His ſubjungit exempla rei hujus complura ex *Virgilio*, *Terentio* & *Cicerone*, ad qvæ legenda Nihuſius lectorem remittit. Sed qvid iſta ad noſtram Andromachen? Utatur tamen *Priſciani* præſidio Nihuſius, & vel ex *Ovidii* qvoq; Metamorphoſeon libris contextum ſacrum illuſtret. abunde ſanè ei occaſionem ſuppeditabit verſio Vulgata, qvippe qvæ ſubinde ad fabulas Poëtarum alludit, teſte *Corn. à Lapide*. Hinc legere ibi licet *Onocentauros*, *Titanis filios*, lamias & hujusmodi monſtra alia. Sed ut ex hujusmodi fabulis vel auctoribus profanis Latinis phraſeologiam ſacram N.T. Græci aliter ac à ſanctis Patribus Græcis factum, exponendam eſſe evincat, id qvidem nemo vel inter ipſos qvoq; paullò prudentiores Pontificios illi concedet. *Primarius tamen interim Priſcianus Grammaticus eſt*; occinat nobis *Nihuſius*. Nos verò nõ immeritò cum Criticorum ſuperioris ſeculi facilè Principe *Juſto Lipſio miramur, homines eſſe* (& illos qvidem ſenes depontanos) *qvi plus Grammaticorum præceptis tribuant, quàm illis, per qvos Grammatici vivunt*: qvin Nihuſium ad *Philippum Caroli*, qvem in ſeceſſione â verâ religione qvondam ſocium habuit, amandamus, qvi docebit ipſum, *qvàm planè Latini Scriptores Grammaticorum Sceptra contemſerint*. notis in epiſt. Cic. ad Attic. lib. 1. ep. 12. Qvid verò interim ad Trapezuntii reſpondetis auctoritatem? *Viri natione Græci, fide ac religione Catholici, Eugenio qvarto* (apud Bellarminum errore typographico V. eſt) *Pontifice Rhetorices ac Philoſophiæ Profes-*

C. 2. ep. Misc. ep. 35.

de Script. Eccl. p. 114.

Professoris in Gymnasio Romano, deinde Nicolai V. scribæ Apostolici, dubio procul proclamat Nihusius; annon tanti Viri prosternit Vos auctoritas? Nos qvidē hactenus liberi ab isto fulmine sumus, qvod stramineum tamen putamus. Concedamus enim licet Nihusio, Romano-Catholicum Trapezuntium fuisse, (inter Ecclesiasticos tamen Scriptores *Bellarminus* neutiqvam eum refert, ceu Cardin. *Bessarioni* fecit, qvi Trapezuntium refutavit) concedamus etiam, fuisse illum Romæ Professorem Philosophiæ, qvin & Scribam vel Cancellarium etiam Pontificis Romani, qvid verò hoc contra nos, aliosq;, qvibus veritas cordi est, qvi auctoritate Pontificis Romani, qvippe purè humanâ, ne tantillum qvidē movemur. *Sed magni tamen facio, & merito qvidem testimonium ejusdem Grammaticum de acceptione duplici vocis ἐὰν: Præsertim qvum & Priscianus idem sentiat*; insusurret nobis Nihusius. Tota itaq;, Nihusi, Trapezuntii auctoritas, nam & aliàs *totus fallitur* Tibi quoq; *bonus iste homo Trapezuntius*, exinde apud TE magna est, quia nititur Prisciani consensu! Sed qvæso, evolve & inspice paullò accuratiùs, qvàm benè Trapezuntius tuus Priscianum alleget. Nonne clara sunt Prisciani verba: *Freqventissimè* si *Conjunctio dubitationem significans ei* (subjunctivo) *sociatur, id est pro ἐὰν, Græca Conjunctione posita, ut Terent. &c. Cum verò conjunctionem Græcam significat, qvæ apud illos συναπτικὸς nominatur, id est conjunctiva, qvod rem rei continuari demonstrat, indicativo conjungitur* &c. Falsum verò est, qvod Trapezuntius dicit, *Priscianum Græcis ostendere exemplis, Latinorum particulam* si *easdem habere vires, qvas ἐὰν* Græca. Id qvidem ostendit Priscianus, ei

Græco-

Græcorum pro ἐὰν poni, ac deinde qvos & qvot modos εἰ adſumat, ſed de ἐὰν nullum omninò profert exemplum. Sed *ſermo etiam ipſe Græcus perſpicuum id facit; adeò ut exemplis non opus:* ſubjungit *Trapezuntius.* Hoc verò jam aliud eſt. qvæſtio enim eſt, an ſicuti Latinorum *ſi* aliqvando affirmationem includit, ita qvoq; Græcum ἐὰν hoc faciat, idq; Priſcianus exemplis Græcis probet, vel probare etiam voluerit. Prius concedimus, poſterius negamus: atq; adeò veritati hîc minimè litat Trapezuntius, cujus tamen *teſtimonium Grammaticum magni* hîc *facit* Nihuſius. Qvomodo verò *ipſe ſermo Græcus perſpicuum hoc faciat,* certòq; monſtret, ἐὰν hoc vel illo loco adſeverationem includere, id qvidem nondum evicit, neq; etiam evincet Trapezuntius unqvam: cùm ipse concedere cogatur, qvin libenter etiam concedat, apertèq; fateatur; *Hoc in Græco ſermone non poſſe liqvidò percipi; ſed adeò latere, ut peritiores etiam hujus artis fugiat, niſi Latinæ Linguæ proprietates inſpexerint.* rationem etiam ſubjicit idem non omninò nullam: *Cujus,* inqvit, *rei cauſa eſt, qvoniam ſubjicientia verba, minutâ qvadam ſcribendi ab indicantibus differentiâ diſtinguuntur: prima enim præſentis indicans perſona, & voce & ſcripturâ eſt eadem cum ſubjungenda.* *Sicut in propoſito,* Volo eum manere, θέλω αὐτὸν μένειν, *illud* θέλω *poteſt &* volo *&* vellem *dici Latinè.* omninò rectisſimè, ſi præmiſſum ἐὰν ſubintelligatur. aſt pergit Trapezuntius: *Sed* vellem *nullo pacto convenit: omninò enim â rebus alienum: qvare nec ullus unqvam id cogitavit.* In hoc verò vehementer lapſus bonus Trapezuntius eſt, nec ſui etiam memor fuit, qvippe qvi ipſe in Cyrilli verſione ſuper h. l.

eo ver-

eo verbo,& in hâc qvidem Conjugatione ac tempore usus est,ceu suprà Cap. V. vidimus. Abeat igitur, qvòd *nullus unqvam id cogitarit*. An verò *vellem* nullo pacto convenit ? id quidem nec *Nihusius*, si quid videmus, inficiatur, qvippe qvi strenuè adserit, *non purè affirmativè* h.l. Græcum ἐὰν ac Lat. *Si* accipi: qvâ stante hypothesi certè *vellem* non prorsus *nullo pacto* conveniret, nec *â rebus esset omninò alienum*. Annon enim nobis ταῖν ἀμφοῖν χεροῖν concedet Nihusius hanc expositionem hujus loci: *si vellem, sicuti* volo, non eum *perire violenta morte,ut* &c. *qvid hoc ad te?* hactenus igitur neutiqvã nos ferit sive Trapezontii auctoritas,sive etiam argumentorum illius vis atqve pondus. Videat tamen interea loci Nihusius, qvomodo novum inveniat temperamentum, qvo demonstet, Trapezontium *non merè adfirmativè*, sed *hypotheticè*, ita tamen ut *affirmatio involvatur saltim*, accepisse. Quando verò Trapezuntius nimis audacter adserit, *particulam ἐὰν hîc indicativo jungi: atqve idcirco, non* si,*sed* sic *Patres interpretatos; ne sc.* si *particula Latinæ Græcæq; Linguæ sciolos, propter duplicem potestatem turbaret*, ibi nemo non videt,qvid habendum de adserto illo sit, cùm qvoad primum ipse Trap. paullò post fateatur, *ex Græco sermone non posse liqvido hoc percipi; sed adeô latere,ut peritiores etiam hujus artis fugiat*. qvod posterius verò concernit, ibi si de *Patribus* nonnullis *Latinis*, qvos vulgata lectio corrupta seduxit,loqvitur,nihil contra nos concludit: si de Græcis, ostendimus suprà contrarium. Atqve ex his tandem καταφανὲς καὶ τὸ ἡλίῳ λαμπρότερον esse putamus, nihil qvoad acceptionẽ Græcæ particulæ ἐὰν â *Trapezuntio*, sive ex *Prisciano* etiam, afferri, per quod Nihusii caussa mala facta fuerit

melior. Ita nimirum verum illud est: *caussa mala defendendo fiet pejor.* Audivimus Nihusii Patronos *Priscianum* (qvem tamen invitum huc traxit Nihusius) atq; *Trapezuntium.* excussimus vim argumentorum: nihil verò in iis, quod juvare Nihusium solidè possit. Probare debebat Trapezuntius & cum eo cliens ejus miser Nihusius, particulam ἐὰν in probatis auctoribus Græcis, qvin & in N. T. libris affirmativè accipi, atq; adeò hoc etiã loco ita accipi debere. Sed nil ibi de *Xenophonte*, *Demosthene*, *Herodoto* aliisqve auctoribus Græcis, multò minùs ex Evangelistarum Apostolorumve libris. meræ fermè ibi proclamationes pomposæ: *testis est Priscianus, Grammaticorum omnium excellentissimus* &c. ita Trapezuntius de eo. de illo verò Nihusius rursus: *Georgius Trapezuntius Græcus natione, fide ac religione Catholicus* &c. qvid qvæso hæc ad nostram caussam? nihil omninò! si igitur ex *Cicerone*, ad cujus auctoritatẽ etiam Nihusius nos remittit, audire aliquid concupiscit, audiat sic illum decernentem, lib. 1. de finibus: *Ita jus civile habemus apud nos constitutum, ut caussa cadat is, qvi non qvemadmodum oportet, egerit.* Audiat hanc sententiam Nihusius cliens, audiant & Patroni ejus *Priscianus* Grammaticus & *Trapezuntius* scriba Apostolicus. Nec est, quòd de incompetente judice foriqve incompetentiâ qveritentur, cùm ipsi illius auctoritatem agnoscant non tantùm, sed & nobis objiciant. Atqve sic missum tandem faciemus Nihusium de significatione part. ἐὰν, unà cum suis patronis Priscian o & Trapezuntio: si paucis tamen priùs cõsideraverim9 illa, quibus caussæ ac patrocinio Colophonem imponit Trapezuntius. Ita verò ille: *Qvas ob res, & auctoritate illorum, qui traduxerunt* (Vulgatam sine dubio alludit

dit verſionem, illosqve, qui ex hâc decepti ſunt, Patres nonnullos Latinos,) & *conſuetudine multorum ſeculorum, (inolitum errorem* rectê h.l. eam indigitat *Janſenius*, quem tamen nihilominus nonnulli defendunt) & *ipſius ſermonis Græci proprietate* (at verò paullò ante dixerat, *in Græco ſermone non poſſe liqvidò hoc percipi*) & *quoniam res ipſa disjunctiva dubitandi vocem non patitur*, (qvid per rem disjunctivam intelligat *Trapezuntius*, nos equidem haut capimus, nec ipſe etiam *Trapezuntius* vel *Nihuſius* explicant) *affirmans Dominus dixit, Ita volo eum manere, donec veniam, qvid ad te*? Cùm hæc nec ipſi etiam *Nihuſio* in totum arrideant, & ex ſuperioribus ſatis conſtet, quid ponderis adferto huic inſit, verbum ampliùs nõ addemus. ad alterum itaqve membrum properamus tertiumqve. Eſto itaqve

CAP. VII.

NUm particula *Si* affirmationẽ includat, ſive an qualitatem rei cum hypotheſi involvat? exemplum aliqvod Cornelii â Lapide expenditur. An *Si* apud Vulg. Interpretem pro Sic occurrat? it. *an* Sic apud Patres ac Vulg. Interpr. hypotheticum gignat ſenſum, qui affirmationem includat? Nihuſius ad artem ſuam novam fruſtrà provocat. Falsò etiam adſerit, *ſic* apud veteres quosdam in Eccleſiâ nonnunquam pro *ſi* fuiſſe adhibitum.

Secundum qvæſiti membrũ erat, *num particula* Si *affirmationem aliqvam involvat, idq; probari poſſit ex Patribus Latinis ac Verſionis Vulgatæ locis aliis*. Cœtera exempla ex profanis adducta auctoribus excutere nolumus, qvippe cùm hoc loco nõ qvęratur, qvomodo particula *Si* aliqvãdo accipi poſſit, accipiaturve, & qvidẽ apud auctores claſicos Latinos: ſed qvomodò â *Patribus* ſumatur in *præſenti loco*, & qvo ſenſu etiã in *verſione Vulgata* occurrat. Ne tamẽ glorietur Nihuſius, ac ſi triũphũ reportarit de nobis, & qvaſi prorſus cõſentientes nos habeat qvoad loca ex auctoribus Latinis â *Corn.* â *Lapide* adducta; notare eum volumus, qvòd loca iſta minimè probent illud, accuratè ſi Controverſiæ ſtatus obſervetur, quod probare debebant. Probant n. tantum

tùm, *Si* aliqvãdo *purè affirmare*, non verò *qvalitatem aliquã rei cum hypotheſi involvere ac inſinuare*, ceu de noſtro exemplo ſtatuit Nihuſius, id quod prolixè oſtendere poſſemus, niſi chartæ anguſtia diverſum ſuaderet. Applicetur n. ſaltem *Nihuſii* expoſitio de *Si* pro *Sic* ad unicũ exemplũ â Cornelio allatũ, & diverſitas erit manifeſta. Locum præſentẽ *ſi volo eum manere donec veniam, qvid ad te?* ita reſolvit *Nihuſius: Si volo, ſicuti volo eum manere* &c. reſolvatur ſimiliter & ille Virgilii lib. VI. Æneid. *ſi te fata vocant*, in hunc modum: *Si te fata vocant*, i.e. *cùm te fata vocent, ſicuti vocant*. an hæc reſolutio ad mentẽ Poëtæ? Sed & diverſitas locorum horum â Corn. adductorum exinde manifeſta eſt, qvia in illis neutiquam per ſubſeqventem interrogationem, qvâ adſertum negari vel occultari inſinuatur, priora verba limitantur. Aſt nolumus jam cum Nihuſio *Virgilii, Ciceronis Terentiiq;* excutere ſcrinia. Quæſtio potius ſit: an particula *Si* apud *Vulgatum* pro *Sic* occurrat alibi, itemq;, an mos Patribus Latinis receptus ſit, uti particula *Si* pro *Sic*. Hoc ipſum cùm *Nihuſius* non probet, nec probare etiam poſſit, judicet Lector, annon fumos nobis vendat Nihuſius. Tertium igitur ſine ulteriori tergiverſatione aggredimur membrum, an particula *Sic* tum apud Patres tum *alibi apud Vulgatum Interpretem* hypotheticum aliqvem ſenſum, qvi affirmationem involvat, gignat. Vel, an (poſito, ſed nõ conceſſo, qvòd *Si* aliqvando, qvin & hoc loco involvat *præſuppoſitam in intellectu aſſeverationem;*) illud *Sic* idem iſtuc efferat explicatiùs, nec ſumatur, ut aliàs utplurimum ſolet, pro *ita*. Non amplius hîc in ſubſidium vocat Nihuſius *Ciceronem*, non *Virgilium*, non *Terentium*. deſeritur etiam à Patronis ſuis *Priſciano & Trapezuntio*, quin hunc habet etiam contradicentem. qvid igitur agit? probatne affirmativam ſuam, qvam defendere ſatagit, ſententiam locis aliqvot ſive ex Vulg. verſ. ſive è Patribus Latinis adductis? id qvidem neutiquam. Munit ſe arte ſuâ novâ, ac probationis onus â ſe reſpondente qvamlongiſsimè abeſſe jubet, ſufficere exiſtimans, affirmaſſe ac ſat audacter dixiſſe: *Patres antiqvi* (non nominat, qvinam ſint, ne evolvi ſcil. poſſint, ac contrarium ex iisdem probari, vel qvia nemo illorũ ita vocabulo *Sic* uſus eſt) *in ſua lingua vernacula ſic uſi ſunt: ab iis accepimus; nihil de noſtro, finximus. Nusqvam aliàs uſi ſunt? qvis verò hoc affirmet ſine temeritate? nemo. Sed demus, ita eſſe: nihil obeſt. Vel unica talis hirundo ver nobis facit.* Ad has ſcil. incitas redactus Nihuſius eſt, ut ſcribere non vereatur, vel unicum hunc locum, qvo de tamen controverſia eſt, probare, *Sic* idem eſſe, qvod *Si Sic*. An hoc firmare ſit ſuam ſententiam, atq; adeò evincere, lectionem hanc eſſe genuinam, qvilibet prudens judicet.

V8 A 641 p

ULB Halle 3
002 920 379

VD 77
1
Retro

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-372374-p0027-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-372374-p0028-1

D. J.
Ad
Cap. XXI. Comma 22.
D. JOHANNIS

EXERCITATIO PHILOLOGICA SECUNDA,

BARTOLDO NIHUSIO,
SACERDOTI PONTIFICIO
OPPOSITA,
Inq; illustri Academia VVittebergensi
publicè ad disputandum
proposita
à
M. JOHANNE ERNESTO GERHARDO
Jenensi, Coll. Philosoph. Adjuncto,
RESPONDENTE
M. JACOBO TENTZELIO
Greussensi Thur.
Habebitur in Auditorio Philosophorum
a. d. XXIII. Januarii horis
matutinis.

VVITTEBERGÆ,
TYPIS JOBI VVILHELMI FINCELII,
ANNO cIↃ IↃC L.